

X. 4<sup>o</sup> 22<sup>b</sup>

(cat. 3, 524. 25.)



## Contenta

- 1.) Q. Septim. Flor. Rivini disj. de Marito haerede mobiliari secundum Jura Saxonica. Erfurt. 1677.
- 2.) Eadem recus. Lips. 1704.
- 3.) Gottfr. Barthii et Gottfr. Mülleri disj. de marito usu fructuario Saxonico. Lips. 1692.
- 4.) Eadem. Lips. 1721.
- 5.) Joh. Honr. Meieri et Jo: Chop: Benz disj. de iuribus mariti in bonis mobiliaribus uxoris tam secundum Jus Saxonicum quam ex proutis dotalibus. Erford. 1722.
- 6.) Gottfr. Ludov. Mencken disj. de obligatione Mariti ex delicto uxoris in foro imprimis Saxonico, responsa. Ant. Fr. Hafermayr Viteb. 1729.
- 7.) Jo. Gottfr. Worm disj. an et quatenus Jure Saxonico facta uxoris tam Successioni tam usufructui marito competent, praesudicium inferri queat Lips. 1732.
- 8.) Chr. Gottli. Hommel disj. de mariti successione in bona uxoris utensilia statutaria ac communi. Witt. 1749.
- 9.) Ejusd. disj. de jure mariti in bona uxoris adhuc viventis utensilia. ib. eod.
- 10.) Ejusd. disj. de marito rerum uxoris utensilium emtore. ib. eod.
- 11.) Aug. Fridr: Schott et Jo: Aug. Klein. Rabe, Quastio juris Saxonicæ an marito usus fructus et administratio in bonis uxoris minorennis competat? Lipsiae 1779.





*Erügetragt ad General.*

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA,  
PROPONENS

**JURA MARITI IN BO-  
NA MOBILIA UXORIS TAM  
SECUNDUM JUS SAXONICUM, QUAM EX  
PACTIS DOTALIBUS;**

<sup>QVAE</sup>  
MAGNIFICO UNIVERSITATIS RECTORE  
REVERENDISSIMO ET PERILLUSTRI DOMINO,  
DOMINO

**JO. JOACHIMO HAHN,**

EPISCOPO METELLOPOLITANO,

Eminentissimi Archi-Episcopi & Principis Electoris Moguntini per Thuringiam, Hasbam & Eichsfeldiam in Pontificalibus Vicario Generali, Ejusdemque Archi-Episcopalis Curiae Pro-Vicario Generali, SS. Theologiae & Juris Utriusque Doctore, Protonotario Apostolico, Comite Palatino, Insignium Ecclesiarum Collegiarum ad Gradus B. M. V. & ad S. Joannem Moguntiae respective Scholastico, Canonico Capitulari, & reliq.

AMPLISSIMO ANNUENTE JCTORUM ORDINE  
IN ALMA ET PERANTIQUA HIERANA  
SUB PRÆSIDIO

**DN. JOH. HENRIC. Meiers/**  
JCTI.

ELECTORAL. REGIMIN. CONSILIARII, DECRETAL. PROF. PUBL. FACULT.  
JURID. p. t. DECANI, UNIVERSITAT. SENIOR. ET JUDIC. PROVINCIALIS  
ASSESSORIS PRIMAR. &c.

PRO LICENTIA

SUPREMOS IN UTROQUE JURE HONORES, NEC NON  
PRIVILEGIA DOCTORALIA,

MORE MAJORUM, CONSEQUENDI,  
DIE XXIV. APRILIS ANNI MDCC XXII.

IN AUDITORIO JCTORUM MAJORI, HORIS CONSVETIS  
ERUDITE DISQUISITIONI PUBLICÆ DEFENDENDA, OFFERTUR  
PER AUTOREM

**JOH. CHRISTOPH. BENZ,**

*Sommerhusa-Franc.*

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANÆ, Acad. Typogr.

*Cista. I. No: 16.<sup>5.</sup>*

528  
5

*Handlung.  
ad Jndex des  
Success.*



VIRIS

*Magnificis, Generosis, Excellentissimis, Con-  
sultissimis atque Prudentissimis,*

DOMINIS

**CONSULIBUS,  
SYNDICO,  
PRÆTORIBUS,  
SCABINIS,  
SENATORIBUS,**

Splendidissimæ Reipublicæ Zittaviensis Præsidibus &  
Patribus conscriptis,

Dignitate meritisque gravissimis,

*Dominis, Patronis, ac Fautoribus omni observantia  
colendis,*


Inaugurale hoc Specimen

Ea qua par est modestia

*Sacratum,*

D. D. D.

AUTOR.



I. N. D. N. J.

CAP. I.

CIRCA GENERALIORA.

S. I.



Vra Mariti in bona mobilia uxoris tam ex Jure Saxonico, quam ex pactis dotalibus pro viribus breviter discussurus, ne, quæ explicitè tradenda, omittantur, eorundem ab initio quædam adducam, ac deinde ad specialiora se convertet disputatio mea: ubi

S. II.

De definitione primò erimus solliciti, quæ hoc loco erit jus de Jure Saxonico aut ex pactis dotalibus

*Jus marit' circa mortua uxoris*

B 2

marito



marito competens ad acquirenda uxoris mobilia , & quæ mobilium instar habentur ; nisi statuta loci obstant.

§. III.

Generis loco ponitur *Forma*, quæ hic est *Jus arg. l. 3. §. 2. ff. de Bon. possessione* & accipitur pro qualitate morali personali ad aliquid justè habendum, vel agendum competente, ex definitione Hugonis Grotii de *Jure Bell. & Pac.* sive pro facultate, quam quis jure ad aliquid habet: vid. HAHN. ad *Wesemb. tit. de J. & J. n. 10. verb. jus suum*, quæ tamen facultas non universalis est, sed particularis in bona scilicet mobilia *ex peculiari Juris Saxonici dispositione, unde maritus de jure Saxonico non hæres propriè uxoris dicitur, sed statutarius vocatur* CARPZ. *P. 3. C. 21. D. 6. n. 9. & C. 23. D. ult. n. 7.*

Maritus  
non est propriè  
uxoris hæres, d.  
statutarij

§. IV.

Causa efficiens est vel remota, vel proxima: Remota est *Jus Saxonicum commune*, in quam rem extat textus *Landrecht libr. I. Artic. 31.* Stirbt das Weib bey des Mannes Leben / sie erbt keine fahrende Haabe / denn allein Grad und Eigen / als sie das hat an ihren Nehesten / & *libr. 3. artic. 76. verb.* Stirbt dann das Weib / der Mann behält alle des Weibes fahrende Haabe / das Geben aber / da die Frau innen was / und diß Gerade behält er nicht.

§. V.

Proxima verò est consuetudo: *Jus enim Saxonicum nostrò in loco non aliter valet, quàm in quantum usu forensi comprobatum, omnemque auctoritatem*

Jus  
Saxonicum commune  
non valet, nisi do-  
ceatur usu forensi  
probatum.



tem à sola observantia habet, ex qua etiam hujus juris intellectus & cognitio rectius- quàm ex ipsis verbis hauriri potest: teste CARPZ. P. 2. c. 35. d. 8. n. 4. P. 3. c. 11. d. 13. n. 10. Process. jur. tit. 8. art. 1. n. 15. Vol. Dissp. de Privileg. Elect. & Duc. Saxon. de non appellando th. 42. n. 22. seqq. & de donat. Geradae Cap. 2. th. 15. n. 19.

§. VI.

Materia est vel in qua, vel circa quam: Materia in qua- sive subjectum est maritus post benedictionem sacerdotalem thorum conscendens: quippe conscensio thalami in foro Saxonico, ad matrimonii consumationem præcisè requiritur Landrecht Libr. 1. artic. 45. verbis: und tritt in sein Recht / wann sie in sein Bette tritt: & Libr. 3. artic. 45. verbis: Das Weib ist auch ihres Mannes Genssin aller derer Ehren und Würdigkeit / die der Mann hat / zu Hand/ als sie in sein Bette tritt.

*Maritus  
uxori non succedit  
in thalamum  
conscendit*

§. VII.

Nec sponsus proinde ante ingressum thori nuptialis, licet benedictio sacerdotalis præcesserit & festivitas nuptialis peracta sit, lucratur sponsæ defunctæ mobilia, nisi fortè pactis dotalibus expressè id conventum sit.

*Sponsus  
non est maritus hinc  
non succedit  
sponsæ*

§. VIII.

Pacta enim dotalitia jure communi servanda- expeditissimum est: L. 10. C. de pact. l. 48. ff. eod. l. 1. & tot. tit. ff. de pact. dotal. eo sensu videlicet, si ejusmodi pacta de dote solùm, vel donatione propter nuptias

*Pacta  
dotalia quando  
servanda, et  
quando d. servan-  
da.*



conciantur, & Legibus aut moribus non repugnent, aut præbeant occasionem delictis. *L. illud. §. 1. 6. ff. de pact. dotal.* aut mulieres per ea indotatæ efficiantur, aut saltem dos deterior reddatur: *d. l. 6. sub fin. l. 14. §. seqq. ff. de pact. dotal.*

§. IX.

*In pactis dotalibus non potest d. in partem, quoniam de dote, et donatione ne ff. nuptias.*

Quodsi autem pacta hæc fiant de aliis bonis, quam de dote & propter nuptias donatione, puta de mutua successione conjugum, ut scil. alteruter conjugum superstes, illi, qui prius decedit, succedat, ea invalida irritaque esse patet *ex L. hereditas §. C. de Pact. convent.*

§. X.

*Aliud in Praxi obtinet*

Aliud tamen hodie in Praxi observatum testatur *MYNSING. Cent. 2. observ. 33. n. 10.* ubi in contrariam partem in *Cam. Cæsar. judicatum refert GAIL. L. 2. observ. 126. n. 3. §. seqq. BERLICH. part. 2. Concl. 51. n. 5. his ad stipulatur STRUV. S. J. C. Exerc. 30. th. 19.*

§. XI.

*Tollitur Successio ex pactis dotalibus pro supervenientiam liberorum.*

Et si denique supervenientia liberorum intercedat, & nulla in iis liberorum mentio facta, nec legitima ipsis assignata, tolluntur hæc pacta, semper enim conditio: si sine Liberis: tacite pactis hisce inesse censetur: *argum. l. 7. ff. de bon. damnat.*

§. XII.

Atque sic sola post copulam sacerdotalem thalami

mi conscensio ac in lectum sponsæ appositio (wann die Braut dem Bräutigam ins Bette beygesetzt wird / quod inter personas Nobiles & Illustres moris est) quamvis commixtio carnalis, vel ob mutuum desponsatorum consensum, vel ob causam inopinatò supervenientem (quem de Erffurtensi civitate allegat MOLLERUS *Semestr. lib. 2. cap. 44. n. 6.*) ut ob impotentiam, vel ex naturali causa ortam, vel ex fascinatione natam non intervenerit, ubi tamen MOLLERUS *Lib. cit. n. 1. & Lib. 3. Semestr. cap. 23. n. 2.* item BERLICH. *P. 3. Concl. 25. n. 33. seqq.* distinguunt inter impotentiam, ubi maritus ad coeundum prorsus fit inhabilis, aut ubi ope medica indiget, aut ubi ex alia quavis causa, remoto impedimento coeundi integra restitui possit facultas.

*Successio  
habetur per con-  
sensionem thalam-  
mi licet copula  
non sequatur.*

§. XIII.

Non obstat, quod verba Juris Saxonici cum effectu sint intelligenda, non de nuda conscensione thalami, sed potius de consuetudine conjugali per illam significata: Nam Jus Saxonie. tanquam statutarium secundum literam strictè est accipiendum, & ita explicandum, quo minus recedatur à jure civili: CARPZOV. *Part. 3. decis. 295. n. 20. in pract. Criminal. part. 19. decis. 53. n. 28.* illud autem, quod ad Prætoriam aut civilem successionem conjugum olim suffecerit, si purè & simpliciter in ipsum matrimonium fuerit consensus, etiam si carnalis copula non intercesserit *per l. 15. ff. de condit & demonstrat.* id satis evincunt SCHULZE *in Synopsi Instit. Lib. 3. sub rubrica de successione Conjugum,* WILHELM LUDWELL. *in Comment. ad L. 5. C. de bonis*



bonis quæ liber. STRUV. in Syntagmate Jur. Civ. Exercit. 38. th. 39. STRYCK. de success. ab intest. cap. 5. artic. 1. §. 6. & 38.

§. XIV.

Materia circa quam, seu objectum, sunt res mobiles, sive sint propriè tales, sive per analogiam juris aut saltem fictione juris.

§. XV.

*Res mobiles propriè quæ sunt!*

Propriè tales describuntur, quod sint res, quæ integræ vel salvæ de loco suo moveri & in alium transferri commodè possint, vid. STRUV. in Syntag. Jur. Civ. Exercit. 3. th. 82. sive sint naturaliter se moventes, sive ab alio movendæ. Sese enim moventium atque mobilium distinctio in jure nostro non semper observatur. L. 15. §. 2. ff. de acquir. vel amitt. possess. L. 93. ff. de V. S.

§. XVI.

*analogicè tales*

Res verò analogicè mobiles dicuntur, quæ sua natura neque mobiles neque immobiles sunt, rebus tamen mobilibus accensentur, quia aut ipsis inhærent, aut jura, quæ ad petendas eas competunt. STRUV. dicta Exercit. 3. th. 85.

§. XVII.

*Fictione juris tales*

Juris deniquè fictione mobiles vocamus res, quæ in se quidem immobiles sunt ob certum tamen respectum mobilium instar habentur.

CAP.

CAP. II.  
CIRCA SPECIALIORA.

§. I.

**M**issis nunc generalioribus, ad specialiora accedamus, & ea, quæ de Jure Saxonico Viro in mobilibus competunt Jura, per tractabimus.

§. II.

Ad §§. itaque 15. 16. 17. Cap. I. recurrentes, nullus unquam negabit, ad maritum post mortem uxoris pertinere (a) Actiones pro rebus mobilibus competentes: Quamvis enim actiones, ut & cætera incorporalia, putà jura à rebus & mobilibus & immobilibus separentur. *L. 2. §. 3. C. de quadrienn. præscr. l. 1. C. de Prætor. pign. L. un. §. 7. C. de Rei uxoris act.* WISENBACH *ad ff. tit. de Res. D. Disput. 4. th. 39* nec propriè mobilium & immobilium nomine veniant: *Coll. Jur. Argent. tit. de R. D. th. 51.* HAHN *ad Wesenb. l. c.* Si tamen statutum aut alia necessitas urgeat, ut ad alterutrum divisionis membrum referantur, pro substratâ materia inter res, vel mobiles, vel immobiles sunt connumerandæ. SCHNEIDEWIN. *L. c. n. 37.* MOLL. *ad P. 3. Const. 23. n. 1. §. 2.* BACHOV. *de Pign. §. hypoth. l. 1. cap. 6 n. 2.* BERLICH. *P. 3. Concl. 33. n. 5.* LUDW. *l. c.* CARPZOV. *P. 3. C. 23. D. 8. n. 7. seqq. §. C. 24. D. 1. n. 1, 2, 3.* ECKOLT. *l. c. §. XVII.*

*Actio  
ad rem mobilem  
pertinet ad maritum*

B

§. III.

§. III.

*Animalia.*

(b) Animalia à defuncta uxore possessa, nec ea solum, quæ gregatim pascuntur, e. g. Equi, Vaccæ, sues, oves, boves, Capræ §. 1. *J. de L. Aquil.* aut quæ operarum fundique instruendi gratia fuerint comparata, ex mente BERLICHII *P. 3. Concl. 30 n. 18.* sive pro annuo fructu, pecuniâ scil. vel lacte, aut etiam butyro & Caseis solvendis elocata, id. BERLICH. *P. 3. Concl. 29. n. 81. CARPZ. P. 3. C. 23. D. 12. n. 4. sed & castelli, pavones, psittaci, anseres, gallinæ, columbæ &c.*

§. IV.

*Annui reditus.*

(c) Anni quoque reditus lucro mariti cedunt, siue è bonis immobilibus, siue ex sola obligatione personali quotannis debeantur, si eorum dies cesserit, quia exigibiles sunt. *Constit. Saxon. XXIV. Part. 3. §. ult. Vers. Was zur Zeit der Frauen Absterben betagt und gefällig gewesen/ daß solches dem Mann bleibe/ ibique CARPZOV. Def. 5. BERLICH. P. 3. Concl. 34. n. 36.*

§. V.

*divorant.*

Si vero ante solutionis diem uxor decesserit, reditus annui exigibiles, pro rata temporis portione inter maritum & hæredes dividi debent, *arg. l. 7. §. 1. ff. sol. matrim. L. un. §. 9. C. de rei uxor. act. Constit. Saxon. XVI. Part. 3. Berlich. l. c. n. 37. CARPZ. P. 3. C. 24. D. 6.*

§. VI.

Ad maritum superstitem pertinent etiam annui reditus

reditus ad instar mobilium, etiamsi in perpetuum sint constituti, si ex re modico tempore duratura solvantur secundum *Berlich. d. concl. 34. n. 41. Carpz. Def. 6. n. 5.* vel etiam si evidenter aut certe verisimiliter constet, venditorem ejusmodi reditus brevi tempore, postquam constituti fuerunt, redempturum esse *Berlich. l. c. n. 33. Carpz. d. l. Def. 4. n. 2.* vel denique si constante matrimonio ex pecunia dotali - quam maritus post mortem quoque uxoris lucratur, fuerint comparati.

amplia.

§. VII.

Sors autem annuorum redituum pro re immobili habetur *d. Constit. Saxon. XXIV. Part. 3. vers.* Solches Geld / nehmlich sors ipsa und die Haupt-Summa vor sich selbst soll vor unbeweglich Gut gehalten werden / irrevocabiler enim & ita in perpetuum alienata est, ut nec e mentes eam etiam agendo repetere valeant, nisi forte venditor sit in mora praestandi reditus. *C. 1. § 2. de emt. § vendit. in Extravag. commun. Ordinat. polit. de an. 1548, § 1577. tit. von wucherlichen Contracten §. und nachdem verb. die Loskündigung der Güter. Verschreibung auf Wiederkauff wie Wiederkauffs-Recht / soll bey dem Verkäufer/ und nicht bey dem Käufer stehen/ unangesehen / wie die selbige Gült. Verschreibung gestellet ist. *Frantz. lib. 1. Resol. 1. n. 46. Hahn. ad Wesenb. tit. de usur. § fruct. n. 14. Struv. in Syntag. Jur. Civ. Exercit. 27. th. 61.**

Sors annuorum redituum non pertinet ad maritum sed habetur pro re immobili

§. VIII.

Quibus non contrarietur, quod venditoribus redituum redimibilem liceat, quodocunque velint, B 2 ean-



eandem pecuniæ summam, quam ab emptoribus in-  
 to contractu acceperant, ipsis reddere, & eadem solu-  
 tione ab ulteriori census præstatione penitus sese libe-  
 rare *d. C. 1. § 2. de Emt. § vendit. in Extravag. com.* In-  
 ferri ex his posset, quod fors bonis annumerari de-  
 beat, si venditorem respiciamus, reditus redimibiles  
 verò rebus immobilibus emptoris accenseri vide-  
 antur.

§. IX.

Sed accuratius rem si inspiciamus, hoc ipso non  
 destruitur perpetuitas, cum incertum admodum sit,  
 utrum futura sit reluitio, nec ne: Quæ autem dubia  
 sunt, utrum sint perpetua, an temporaria, pro perpe-  
 tuis habentur. *per l. 46. ff. de condit. indebit. Carpz. d. l.*  
*24. D. 3. n. 3. § 4.* Et quod magis, dependet ex ven-  
 ditoris libero arbitrio, an & quando annuos reditus  
 redimere velit. *Berlich. namquæ l. c. n. 27.* paria inquit:  
 aliquid esse ad bene placitum & aliquid esse in per-  
 petuum.

§. X.

*Dona nuptialia*

d.) Dona etiam nuptialia, germanis *Hochzeit-Ges-*  
*schendē* quæ in pecunia vel aliis rebus mobilibus con-  
 sistunt, præmortua uxore, marito cedunt, eaque  
 integra eo casu, si sponsæ forte pater nuptiales sum-  
 tus, & quæ nuptiarum tempore impendit, item do-  
 na quæ die nuptiali oblata sunt desponsatis, in dotem  
 computaverit, & sponsus dotis lege ea acceptaverit.

§. XI.



§. XI.

At si casus hic non existat, dimidiam saltem donorum partem sponsus lucratur, alteram vero portionem proprio jure sibi habet maritus. *Constit. Saxon. XXIII. p. 3. & Carpz. Def. 3. n. 4.* nec eo hic respicitur, num pro more regionis vel ratione datae occasionis, alterutri saltem conjugum oblata fuerint dona. *Berlich. p. 3. Concl. 23. n. 8. Carpz. ad. d. Const. Def. 1. n. 7. seqq. Philippi ad Decis. Elector. l. 1. obs. 1. n. 3. Hahn. ad Wesenb. tit. de jure dot. n. 1. in fin.*

*Donorum  
nuptialium dimi-  
diam partem ma-  
ritus, et alteram  
dimidiam uxor  
accipit.*

§. XII.

Item dos post decessum uxoris, exclusis defunctae haeredibus manet ipsius mariti, quae hoc loco est: proprium mulieris patrimonium. *vid. Corvin. in lexico suo vocabulo dos. per l. 35. ff. Fam. Erc. & Wesenbec. in ff. de jure dot. per l. 3. §. 5. ob matrimonii onus sustinendum, marito uxoris nomine datum.*

*Dos  
pertinet ad maritum.*

§. XIII.

Et constituitur vel ultima voluntate, ut in casu *L. 48. §. 1. L. 76. de jure dot. L. 71. §. 3. de cond. & de monstr. vel inter vivos, hodie pactis & stipulationibus. L. 20. l. 27. ff. de jure dot. l. un. C. de rei uxoriae actio. l. 6. C. de dot. promiss.*

*Dos  
promodo gubtu  
atur*

§. XIV.

Res vero quae dotis nomine veniunt, sunt res omnes, seu quae commercio hominum exemptae non sunt, sive illae sint immobiles. *L. 13. de fund. dotal. sive mobiles l. 42. & seqq. C. de jure dot. l. 30. C. cod. sive*

*Res  
quae in dotem ve-  
nire possunt.*

corporales, siue incorporales, l. 17. §. seqq. C. de jure dot. tam alienæ quam propriæ, l. 9. pr. ff. l. 13. C. d. tit. huj. ad eo ut si evicta fuerit, de evictione teneri constituentem certum sit per l. 1. C. h. tit. ibique Brunnem, vide limitantem Struv. Exerc. 30. th. 10.

*Feudum  
non potest  
dote dari.*

§. XV.

Locum tamen habet usucapio pro dote vid. T. T. pro dote l. 3. §. 2. ff. de publ. in rem act. Hic adjicimus, feudum res dotales regulariter fieri non posse §. 1. 2. feud. 9. qualiter olim pater. feud. alien. eo, quod dotis datio sit alienatio, quod aliter se habet, si feudum sit hæreditarium, aut scæminæ proprium, & sic ratione naturæ plane anomalum 2. feud. 13. §. 17. vid. Gail. 2. obs. 154. n. ult. quale marito concedi potest, quod & tunc procedit, si dominus consentit. Myns. cent. 4. obs. 86. n. 7. plura vide apud Rosenthal c. 9. conclus. 9. num. 5.

§. XVI.

His præmissis, videndum, quid juris marito competat ratione dotis, & respondebitur, quod ipsi ratione dotis promissæ, nondum autem solutæ detur actio ex stipulatu l. 5. C. de dot. promiss. cum jure tacitæ hypothecæ, uti ex Jafone id refert Wesenb. ff. de jure dot. imò, si nulla intervenerit stipulatio, nihilominus maritus ad dotem petendam actionem ex stipulatu habebit. Georgi in nucleo ad leg. un. C. de rei uxor. act. §. 1. Quod si verò à promittente promissa exsolvi nequeat, nec ideo uxorem expelli aut derelinqui posse, statuo cum Wesenbec. de jure dot. n. 5. §. de ritu nupr. n. 7. ubi rationes

*quod  
Jus mariti in  
dote habet.  
& quod actio  
est.*

tionem allegavit, quas huc referre supervacaneum arbitror.

§. XVII.

Ratione acquisitæ dotis actiones consequitur maritus haud aliter ac verus rei Dominus l. 9. C. de R. V. l. 49. ff. in fin. de furtis l. 18. §. 1. sol. matr. l. 16. de fund. dot. l. 13 §. 2. eod. §. 40. J. de R. D. l. 58. ff. sol. matr. l. 7. §. 2. ff. de jure dot. adeo ut fructus omnes, ex quibus excipiuntur servorum dotalium soboles l. 10. §. 2. & l. 69 §. ult. ff. de jure dot. quippe hæ extra rem mariti acquiruntur uxori, l. 1. §. 9. C. de rei uxor. act. Etiam accessiones prædiorum dotalium l. 10 §. 1. de jure dot. & usumfructum nudæ proprietati accedentem l. 4. ff. eod. percipere possit l. 7. de jur. dot. quos etiam à muliere aliisque perceptos soluto matrimonii vinculo repetere potest, vide tamen l. 8. C. de donat. inter vir. & uxor. l. 2. C. de pact. convent. imò & res mobiles alienare ipsi licet.

car. h. actus  
all  
res mobiles

§. XVIII.

Marito enim dominium dotis adscribendum, quatenus scilicet ex causa dotis res marito est tradita, seu quatenus LL. subtilitate, quibus illa qualitas dotalis est inducta, in patrimonium mariti transit, de quo vid. Struv. in Syntag. Jur. Civ. Exercit. 30. th. 12.

quando  
maritus per dotalium  
dominium acquirit.

§. XIX.

Hic solus vindicat omnia, & velut Dominus in rebus dotalibus agit; Competit enim ipsi rerum mobilium alienatio; rei qualitate dotali affectæ vindicatio

consequatio.



tio l. 9. C. de R. V. De re dotali subtracta actio furti l. 49. ff. de furt. & de damno dato actio l. 18. §. 1. ff. solut. matrim.

§. XX.

*Dotis*  
dominium certe  
respectu utriusque  
maritum &  
penes uxorem

Ex quibus apparet, tam penes mulierem, quam maritum dotis dominium esse. Sed penes mulierem naturale; penes maritum civile, quod subtili quadam juris fictione fieri ait Schneiderv. Com. ad Instit. de Action. §. 29. n. 6.

§. XXI.

Nec obstat duos non posse ejusdem rei in solidum esse dominos l. 5. §. ult. ff. Commod. Diversum enim in persona utriusque considerari debet dominium: Illarum namque rerum, quæ æstimatò in dotem datæ sunt, dominium omninò, quasi contracta emptione, in maritum transfertur. l. 10. in pr. §. 5. l. 16. §. 17. §. 1. ff. de jur. dot.

§. XXII.

*Maritus*  
dotem non alienare  
potest,  
na qm consentien-  
te uxore.

Hinc fluit quæstio, an maritus vel dotales pro lubitu alienare possit, nec ne? ad quam negando respondere liceat, quamvis ipsa uxor consentiat in alienationem, tamen invalida erit §. 1. Inst. quibus alien. licet l. 1. §. 15. C. de rei uxor. actio. Ratio est, ne & illa re sua privetur, & publica utilitas non turbetur, cum Rei-publicæ interfit, dotatas esse mulieres l. 1. ff. de jure dot.

§. XXIII.

Nec obstat huic asserto, quod supra §. 18. dixerim marito

marito dominium dotis adscribendum esse, habet enim is dominium, sed non absolutum, verum limitatum. Omnia enim, quæ marito concessa sunt, respectum ad matrimonium & onera ejusdem involvunt *l. 7. ff. de jur. dot.* unde marito libera alienatio propter dominium, quod habet revocabile, saltem denegatur.

§. XXIV.

Limitant DD. in alienatione consensu mulieris juramento firmata, quæ quamvis Jur. Civ. secus *Joh. Philipp. in usu Inst. pract. l. 2. Ecl. 40, n. 8. § 9.* de Jure tamen Canonico servanda. *Cap. cum contingat X. de Jure Jur.*

§. XXV.

Et si prædium æstimatum fuerit datum tali æstimatione, quæ emptionem tacitè involvit, alienare potest, quia commodum ac periculum ad eum pertinet. *Schneidew. dict. loco n. 9.* quare ad res æstimatas illam alienandi prohibitionem non pertinere, testatur *Struv. d. Exerc. th. 21. vid. §. XXXVII.*

§. XXVI.

Aliud est, si saltem æstimatio facta fuerit, ut sciatur quanti plus, vel minus valeat res tempore restitutionis ut vel maritus cogatur refarcire deteriorationem rei dotalis, veluti in *l. 21 C. de Jur. dot.* vel uxor habeat electionem, pacto forsan reservatam, (Si enim nihil convenerit, mariti erit electio) utrum, so-

C

luto

*quando  
dotem alienare  
potest.*  
*Prædium  
æstimato in do,  
tem datum ma  
riti alienare  
potest.*  
*Limda*



luto matrimonio, velit rem ipsam an æstimationem rei, juxta l. 19. ff. eod.

§. XXVII.

*quædo  
maritus alius de  
hem dicitur  
possit.*

Porro, si pecunia ex venditione redacta, conversa sit in comparationem fundi utilioris l. 26. l. 27. §. 67. §. 1. l. fin. ff. de jur. dot. & cum dos fuerit data in mone- ta, vel alia re, quæ pondere, numero, aut mensura constat, has namque res pro arbitrio distrahere potest, modò soluto matrimonio ejusdem generis & qualita- tis alias restituat l. 42. ff. de jur. dot.

§. XXVIII.

*maritus debet  
alienare vel  
possessionem  
debet.*

Quo autem alienandi potestatem habeat, requiri- tur à Doctores, ut maritus solvendo sit, & alia bo- na possideat, ex quibus ea, quæ alienata sunt repe- tere valeat uxor. Schneidew. dict. loco n. 12.

§. XXIX.

*maritus AB  
pro modum  
su uxoris dicitur  
alienat.*

Notandum quoque est, usu & Jure Saxonico et- iam absque juramento uxoris alienationem à marito factam valere, dummodò de consensu ejus constet, & specialis adhibeatur curator. Carpz. P. 2. Const. 15. Def. 21. Decis. illustr. 134. n. 28. Brunneman. ad l. 2. Cod. de fund. dot. al.

§. XXX.

*distingunt  
inter bona para-  
phernalia et  
recepticia*

Sed distingunt quidam inter bona uxoris para- phernalia, quæ maritum alienare posse cum consen- su uxoris dicunt Wesenbec. in paratit. de fund. dot. & in- ter recepticia die Spaarhafen oder Spiel-Gelder, in qui-

quibus maritus nequidem administrationis jus habet  
secundum Wesenb. l. c.

§. XXXI.

Constituuntur parapherna vel ex dispositione uxoris, tanquam rerum dominæ arg. l. 16. de dot. caut. non num: vel ex parentum arg. l. 5. l. 8. l. 44. de jure dot. l. 45. solut. matrim. & cognatorum, aliorumquæ extraneorum liberâ voluntate l. ult. Cod. de jure dot. arg. l. 22. pr. ff. solut. matrimon. eaque vel expressâ vel tacita.

*Parapherna  
quæ ad dotem spectant*

§. XXXII.

Expressâ, quando mulier res suas mariti custodia & administrationi committit, sive eâ, ut paraphernalia dotali instrumento inseruntur L. ult. C. de pact. convent. sive Chirographo mariti consignantur, l. 9. §. ult. de jure dot.

§. XXXIII.

Tacitâ, si patientiâ uxoris easdem res administrat d. l. 9. §. ult. de jur. dot. Et siquidem emancipata fuerit, nullius consensum adhibere necesse est. §. 6. J. quibus modis Patr. potest solvat. secus si in paternæ Familiæ sacris constituta est, aliâs bona profectitia, in quibus nihil juris habet, nullo modo concedere alicui potest. §. 1. J. per quas person. cuique acquir. adventitorum, cum patris sit ususfructus, illo non consentiente adempta filiæ est potestas. d. §. 1. excipio tamen quo ad adventitia, si hac conditione filiæ familiaris data, ne ad patrem ususfructus veniat. authen. ex-

C 2

civi-



*capitur. C. de bonis quæ lib. authent. ut filia si cum Patre succedit. authent. defunct. C. de Scto Tertullian. Nov. 118. c. 2. item ex speciali Lege concessa, utpote sine causa prægnante divortio per patrem tentato authent. idem est C. de bonis quæ liberis.*

§. XXXIV.

*Re  
Paraphernis stat.  
præsumptio*

Si objectum respiciamus, sese hic offert nobis idem, quod in dotem descendit. Modum præscribit paraphernis, unius cujusque liberalis dispositio, secundum *Arniseum de jure connub. cap. 3. Cujac. lib. XI. seqq.* sed si quærat? an sine dotis promissione & nominatione illata bona, quibus mulieris patientia uti fruitur maritus, pro dotalibus habeantur, an verò pro paraphernalibus? ad posterius affirmando respondeo, quia dotis datio, cum sit facti, non præsumenda *l. 2. ff. de probatio. Gail. lib. 2. Observ. 82. Carpz. P. 1. Const. 28. Def. 87.* hinc in dubio paraphernalia censenda.

§. XXXV.

*Maritus  
habet omnium  
rerum usum  
fructum uxoris  
jure Saxonico.*

Ad finem autem dotium cum recurramus, est ille, ut eò facilius maritus onera matrimonii sustinere possit. Cui paraphernorum respondet *arg. l. 7. Princip. l. 16 §. 1. l. 75. & seqq. ff. de jur. dotium, l. 20. C. eod.* hinc cum jus administrandi marito moderna consuetudine data, ut notat *Gudelinus lib. 1. de jur. novissim. cap. 7. & Jur. Civ. volente uxore l. 9. §. 3. ff. de jure dot. l. 8. & l. 11. C. de Pact. convent.* Maritus rectè quoque paraphernorum usuras exactas tam in suam quam uxoris utilitatem vertit. *L. ult. C. de Pact. Brunnem. ad l. 8. & ult. C. eod.* omnium rerum uxoris usumfructum Jus Saxonicum marito



marito tribuit, *Carpz. Part. 4. Constit. 21. n. 8. Struv. Exercitat. de ritu nupt. 56.*

§. XXXVI.

Neque id Juri Civili refragatur, intercedente voluntate uxoris *arg. L. ult. C. de præscript. longiss. temp l. 11. §. 1. de Publician. in rem actio. fin minus, omnes fructus restituat arg. l. 17. C. de donat. inter vir. & uxor. dote vero non constitutâ omnes marito addicunt loco dotis, Menochius lib. 3. Præsumt. 9. n. 21. Rosenthal de feudis. cap. 10. Concl. 5. n. 10.*

*L. ult. C. de præscript. longiss. temp l. 11. §. 1. de Publician. in rem actio. fin minus, omnes fructus restituat arg. l. 17. C. de donat. inter vir. & uxor. dote vero non constitutâ omnes marito addicunt loco dotis, Menochius lib. 3. Præsumt. 9. n. 21. Rosenthal de feudis. cap. 10. Concl. 5. n. 10.*

§. XXXVII.

Ex quibus ratione paraphernorum, in specie dictorum, nomine uxoris agere potest maritus, & quidem absque mandato & cautione, quod secus se habet, si agat de receptitiis *l. 21. C. de Procuratoribus. Gail. Obs. 133. ubi rati cautionem præstat, nisi instrumentorum productione mandatum proberur, L. fin. C. de pact. conv. In foro Saxonico Curatorium exhibeat, aut cautionem rati præstare cogitur, Carpz. Process. tit. 1. artic. 6. n. 31. causa hujus est; quia diligentiam, quam suis rebus adhibet, his detractare non debeat. L. ult. C. de pact. convent. ex quibus fluit, maritum damnum omne quod inferri possit, avertere l. 65. de usufructu. Res meliorare debere, l. 7. §. 2. & 3. l. 46 §. 1. de usufruct. §. 38. J. de Rer. divis. Etiam ad alia onera, nisi immodica sint, sustinenda tenerur, quæ tamen ut tunc refundenda æquitas & leges suadent l. 7. §. 2. ff. de usufruct. ibique *Hahn. ad Wesenb. n. 5. quæ secus se habent,**

*Propter dorem et paraphernarum maritus sine mandato agere potest. Limita in foro Saxonico.*



si nudam tantum habeat administrationem *arg. l. pe.  
nult. C. de Patrimon. muner. Carpzov. Part. 3. Constit. 16.  
Def. 12.*

*primus  
maritus in dote  
et alias uxori  
non nocet  
tal*

## §. XXXVIII.

Coronidis loco contraria quædam hujus juris mon-  
strare liceat, quæ in eo consistunt, ut si

1mo) In pactis dotalibus certæ portionis facta fuerit  
assignatio : qua omnino maritus debet esse conten-  
tus. Nec regressum habet ad intestatam successio-  
nem mobilium *Const. Elector. Saxo. 20. Part. 3. vers.  
Wann zwischen Eheleuten Ehestiftungen beredet ic.  
ibique Carpz. Part. 3. Constit. 23. Def. 1.*

2do) Statuta localia & consuetudines faciant cessare  
dispositionem Juris Saxonici, cum vim legis ha-  
beant, & Juri communi derogent *Carpzov. ad dict.  
Constit. 23. Def. 2. Richter de successio. vol. 2. Cons. 323.  
n. 7. intelligenda verò sunt statuta illius loci (ratio-  
ne mobilium) ubi domicilium maritus habet. Cum  
enim persona illis sese submisisse dicatur statutis, u-  
bi domicilium constituit. Hinc in successione mo-  
bilium statuta domicilii attenduntur. *Carpz. part. 3.  
Const. 12. Def. 13. Stryck. tract. de success. ab intestat. cap.  
3. §. 4. §. 3. addit rationem, Gailius Observ. 124. n. 18.  
quod mobilia in certo loco sita non dicantur, sed  
personam potius sequantur.**

3tio) Si Maritus Juri de rebus mobilibus pro se intro-  
ducto renunciât, etiamsi in præjudicium credito-  
rum id fiat. *vid. Moller. ad Constit. 20. part. 3. n. 18.  
Carpz. ad eand. Constit. Def. 21. Talis namque mari-  
tus*

tus patrimonium suum eo ipso non diminuit, sed id saltem agit, ne locupletetur, l. 6. ff. qua in fraud. Credit. quæ renunciatio autem expressa & specificasse debet, ex hac quidem ratione, quia renunciaciones stricti juris sunt, nec præsumantur.

4to) Et cum malitiosè conjux conjugem deserat, vel in perpetuum, vel ad certum duntaxat tempus, dum ægrotanti de cura & necessariis medicamentis non prospicit, quo casu nequaquam post mortem mobilia sibi adjudicare poterit maritus *Const. Elect. Sax. 26. part. 3. ibique Carpz. Def. 1. n. 4. & Def. 4. nisi injuriam sibi illatam decedens conjux vel expressè vel tacitè remiserit marito. Carpz. loco cit. Def. 12. 13. & 14.*

Non tamen ipso jure mobilium cadit maritus perceptione sed tùm demùm, si defunctæ hæredes descendentes privationem petierint, *Carpz. l. c. Def. 11.* Collaterales tamen unà cum extraneis experiri non possunt. *idem Def. 12.* valet idem de expellente à se uxorem sive justam sive injustam causam habere videatur, nisi benignè eandem recipiat. *Berlich. Part. 2. Concl. 32. n. 35. Carpz. l. c. Definit. 6. ut paucis dicam, quoniam maritus contra officium maritale vel omitendo, vel committendo agit, toties portionem statutariam amittit, e. g.*

1mo) Si denegaverit alimenta uxori, *Carpz. l. c. Definit. 5.*

2do) Si falso adulterii accusaverit *Berlich. l. c. n. 13. Carpz. l. c. Definit. 8.*

3tio) Si necem fuerit uxori molitus *Carpz. l. c. Def.*

7.

*Maritus  
in proprio patrimonio  
relictorum suorum  
regioni statutaria  
non claudere  
potest.*

*Non  
succedit maritus  
uxorem ægrotantem  
sancit deserat.*

*Non  
ipso jure privatur  
maritus successione  
statutaria, sed hæres  
videtur petent, ne  
ex ea est. Et ex  
quibus causis privatur*

4to)

4to) Sique ejus mortem ab alio violento modo acceleratum non vindicaverit, *Berlich. l. c. n. 6.* aut denique

5to In adulterio deprehensam, vel suspectam interfecerit, *Berlich. l. c. n. 3. & 4.*

Tandem divortium jura mariti in bona mobilia uxoris tollit *Carpz. l. c. Def. 17. id quod non de separatione quoad torum & mensam intelligendum erit*, si à magistratu ecclesiastico hæc facta sit, talis enim suum officium neglexisse non intelligitur, qui à cohabitatione per magistratum absolutus est. Sufficiant hæc pro ingenii tenuitate dixisse, quia militia & temporis angustia non plura a me exigunt,  
quàm

FINEM.

Ve 1070

ULB Halle 3  
004 956 94X




f


TA → OL

long

M.E.







*Eingetragt ad General.*

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA,  
PROPONENS

**JURA MARITIMI IN BO-  
NA MOBILIA UXORIS TAM  
SECUNDUM JUS SAXONICUM, QUAM EX  
PACTIS DOTALIBUS;**

*QVE*  
MAGNIFICO UNIVERSITATIS RECTORE  
REVERENDISSIMO ET PERILLUSTRI DOMINO,  
DOMINO

**JO. JOACHIMO HAHN,**

EPISCOPO METELLOPOLITANO,

Eminentissimi Archi-Episcopi & Principis Electoris Moguntini per Thuringiam, Hassiam & Eichsfeldiam in Pontificalibus Vicario Generali, Ejusdemque Archi-Episcopalis Curie Pro-Vicario Generali, SS. Theologiae & Juris Utriusque Doctore, Protonotario Apostolico, Comite Palatino, Insignium Ecclesiarum Collegiarum ad Gradus B. M. V. & ad S. Joannem Moguntiae respectivo Scholastico, Canonico Capitulari, & reliq.

AMPLISSIMO ANNUENTE JCTORUM ORDINE  
IN ALMA ET PERANTIQUA HIERANA  
SUB PRÆSIDIO

**DN. JOH. HENRIC. Meiers?**  
JCTI.

ELECTORAL. REGIMIN. CONSILIARIUM, DECRETAL. PROF. PUBL. FACULT.  
JURID. p. t. DECANI, UNIVERSITAT. SENIOR. ET JUDIC. PROVINCIALIS  
ASSESSORIS PRIMAR. &c.

PRO LICENTIA

SUPREMOS IN UTROQUE JURE HONORES, NEC NON  
PRIVILEGIA DOCTORALIA,

MORE MAJORUM, CONSEQUENDI,  
DIE XXIV. APRILIS ANNI MDCXXII.

IN AUDITORIO JCTORUM MAJORI, HORIS CONSVETIS  
ERUDITÆ DISQUISITIONI PUBLICÆ DEFENDENDA, OFFERTUR  
PER AUTOREM

**JOH. CHRISTOPH. BENZ,**

*Sommerhusa - Franc.*

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANÆ, Acad. Typogr.

*Cista I. No: 16.<sup>5.</sup>*

528  
5

*Handwritten note:*  
ad Jndey des  
Suocz.